C:C. ~~CMS~~
15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMPENDIUM
COSMO-ET GEOGRAPHIÆ,

NEC NON

Chronologiæ Summorum Pontificum, Cardinalium, Imperatorum, Regum, Ducum, & Principum.

CUM CATALOGO

Omnium Summorum Pontificum, & ſingulorum S. R. E. Cardinalium, qui ex diverſis Ordinibus, & aliàs ex univerſis Orbis partibus, ad Pontificatum, & Cardinalatum uſque ad annum 1712. aſſumpti fuerunt, cum deſignatione temporis, eorundem creationis, ſeu promotionis, & nominibus Pontificum promoventium &c. cum Vitis Imperatorum, Regum, & Principum, eorumque Statuum territorialium deſcriptione, rerumque curioſarum totius Europæ, Africę, Aſię, & Americę annotatione.

COMPOSITUM

AB ABBATE D. JO. CAROLO DE STADEL
Patritio Francofurtenſi, Moguntinæ Diæceſis, Canonico Cathedralis Curienſis, Conſiliario Eccleſiaſtico Sereniſs. Electoris Palatini, SS. Theologiæ, & J. U. Doctore, ac Profeſſore.

DEDICATUM

BEATISSIMO PATRI, AC DOMINO D.

CLEMENTI XI.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

SUMPTIBUS AUCTORIS

ROMÆ, Typis Bernabò. 1712. *Superiorum permiſſu*

Venduntur in Bibliotheca Eraſmi Sylveſtri, in Foro Agonali prope S. Agnetem.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

D. de Zaulis Archiep. Theod. Viceſg.

EGo Infraſcriptus teſtor in Libro, cui titulus *Compendium Coſmo-& Geographiæ; necnon Chronologiæ Summorum Pontificum, Cardinalium &c.* Compoſitum ab Abbate D. Io. Carolo de Stadel, Canonico Cathedralis Curienſis, Conſiliario Eccleſiaſtico Sereniſſimi Electoris Palatini: Nihil eſſe contra fidem, aut bonos mores, ſed paucis multa complecti, & plurimas ætates unico intuitu contemplandas exponere, Summos Pontifices, Cardinales omnes, Sacroſque Patres brevibus lineis, omnibus eruditis memoriæ tenendos proponere; Ideoque dignum opus cenſeo, quod in lucem edatur, & promulgetur. Ex Collegio Clementino, & Reverendiſſimi Patris Magiſtri S.P,A. commiſſione, Romæ anno 1712. die 9. Octobris.

Jo. Bernardus Pozzolus C.R.S. S. Th. Lector.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

Beatiſsime Pater.

I*NTER plura* VESTRAE BEATITUDINIS *dona, quæ mecum tacitus ipſe mente revolvo; non minimum exiſti-*

mo, meam in Cathedrali Curienſi Canonicam inſtallationem, afflante VESTRAE BEATITUDINIS *benignitate perceptam; unde ingrati animi notam non effugerem, niſi aliquid tantæ gratiæ reſpondens, ad* VESTRAE BEATITUDINIS *Sacrarium appenderem. Ex decennali Romano domicilio, quo curæ animarum, Confeſſionibus in primariis Urbis Baſilicis, eodemque tempore Aulæ addictus vixi; Priſcos Romanos, acceptarum gratiarum memores imitatus ſum, qui bellicoſis Imperatoribus Trophæa publicè decreverunt; prout Arcus Titi Severi, Gordiani, & Conſtantini*

tini

tini ex 36. *arcubus marmoreis*, *ultra lapideos*, *&* *lateritios adhuc eloquuntur*. *Chriſtus Dominus humilitatem non deſpexit*; *unde & meum deſpicabilem librum* VESTRA SANCTITAS, *à paupere Patritio Francofurtenſi*, *patre*, *& matre orphano*, *hæreditate paterna*, *& materna ab hæreticis ſpoliato*, *acceptare non dedignabitur*. *Non enim in oblationibus juſtitiam*, *ex rerum pretio*, *& dignitate*; *ſed ex offerentis voluntate*, *& facultate metitur* VESTRA BEATITUDO. *Terrere videtur poteſtas*, *qua pollet*, *ſed merita ſupplicum excedit*, *& vota*. *Sed quid moror*? *Quid*

ve-

vereor? pretioſa dicanda occurrunt; Inter alia offero Compendium Geographiæ territorialis, in qua utraque poteſtate gaudet VESTRA SANCTITAS. *Ad Veſtrum ergo humillimum ſervum; ejuſque, re quidem ipſa, leve munuſculum, ſed ſi affectu pendatur non exiguum, licet Abelis merito carens reſpicere dignetur, ac pro gratiarum complimento, hunc librum cum omnimoda reverentia porrigere patiatur; ac diuturnum Eccleſiæ regimen, conſtans obſequium, in proſperis præſidium, in adverſis ſolatium, ac perpetuum ubique patrocinium præſtare complaceat. Hæc ſupplex poſtu-*

ſtulare audeo ; ac pignus licet fragile, quovis tamen ære, ac marmore perennius, nec non adamante ſolidius offero.

VESTRAE BEATITUDINIS

Romæ 1. *Septembris* 1712.

Humillimus Servus
Jo. Carolus de Stadel.

Notanda, ſeu corrigenda.

DE *Pontificibus Bonifacio VI & VII., Leone VIII., & Felice II. ſequor Chronologiam Platinæ, Muſantii, Francolini, & expreſsè Cardinalis Bellarmini, qui a. 964. Leonem VIII. ultimo anno, pro legitimo Pontifice agnitum fuiſſe ait, licet Card. Baronius f.893. 963 974., hunc uti, & Bonif. VI. & VII. inter Antipapas numeret, nolens hoc diſcutere; ſicut nec de Pontificibus ex Ordine Carmelitarum, & Canonicorum Regularium.*

Fol.65. l.13. loco Cleſelius l. Cleſius, Tridentinus.

Fol. 95. loco Eugenii III. ponatur Eugenius IV.

Ad Cardinales Ordinis S. Joannis Hieroſ. junge Franciſcum Barberinum.

Poſt Cardinales Societatis Jeſu, ponantur Cardinales ex Congregatione Oratorii S. Philippi Nerii in Eccleſia S. Mariæ, & Gregorii in Vallicella de Urbe, videlicet:

Franciſcus Maria Tauruſius, Politianus; Cæſar Baronius, Soranus; Alphonſus Vice-Comes, Mediolanenſis; Horatius Juſtinianus, Januenſis, Magnus Pœnitentiarius; Leander Colloredus, Forojulienſis. Magnus Pœnitentiarius: Ex eadem Congregatione, extra Urbem: Petrus Matthæus Petruccius, Æſinas.

Ad fol. 134. De Legatis à Latere nomen incæpit, à Concilio Sardicenſi, res fuit antiquiſſima. Sic Papa Simplicius apellavit Zenonem, clementiſſimum filium; ſic Leo Pulcheriam Auguſtam, & alii, & Papæ nomen juxta nonnullos incæpit tempore Felicis III. ſed alii oſtendunt antiquius, & antiquum eſſe tempore Tertulliani; Templa etiam fuere ſub Paganis, ſed apud Chriſtianos magis libera.

COMPENDIUM
COSMO-ET GEOGRAPHIÆ,
NEC NON
Chronologiæ Purpuratæ.

LIBER I.

De Deſcriptione, & Diviſione, ac variis mirabilibus mundi terraquei.

CAPUT I.

De ſtatu Cœli, & terræ, & variis mirabilibus Europæ, Aſiæ, Africæ, & Americæ.

§. 1. *De diſtantia Cœli, & Planetarum ſecundùm Aſtrologos modernos.*

ASTROLOGI moderni utuntur medio diametro terræ ; continente 2863. milliaria Italica ; & quando dicunt Cœlum Lunæ diſtare à terra 33. ſemidiametris, intelligunt, quod à centro terræ uſque ad Cœlum Lunæ ſint 94474. mil-

liaria ; adjungunt, quod à terra uſque ad Cœlum lunæ ſint 94474. milliaria ; aſſerunt, quod à terra uſque ad Mercurium ſint 64. ſemidiametra ; à terra ad Venerem 167. à terra ad Solem 1121. à terra ad Martem 1216. à terra ad Jovem 17852. à terra ad Saturnum 14373., à terra ad firmamentum 22612. à terra uſque ad minores ſtellas 45225. vel ſexaginta quatuor milliones ſeptingentas novies mille quingentàs octuaginta ſeptem horas cum media conficiat. Qui numerus ad talem aſcendit diſtantiam, ut credatur, quod ſi Adamus viveret adhuc, & à principio ſuæ creationis cucurriſſet verſus Cœlum 36. milliaribus quotidie, non appuliſſet adhuc ad concavitatem octavi Cœli. Tandem ſubjungunt firmamentum currere cum tanta celeritate, & ſpecialiter in medio, quod ſi una ſtella, quæ eſſet ſub Æquatore, deberet currere 4528.milliaria Italica in motu venæ pulſatilis, hominis benè regulati, quæ vena 4000.vicibus ſecundum *Cardanum* ſe movet in quacunque hora. Videatur

P. Co-

P. *Coronellus* in Atlante Ven. fol. 10.

§.2. *De motu StellArum fixarum.*

Stellæ fixæ duos motus habent, unus illorum communis eſt, & apparet oculis cujuſcunque pergentis ab Oriente ad Occidentem, & terminat circuitum ſpatio 24. horarum. Ideo ſtella in Æquatore, vel prope illum pertranſit quotidiè currendo 75680000. milliaria Germanica, & ſpatio unius horæ 3153370. V. *Coronellus* l.c.

§.3. *De numero fixarum.*

Rabini Hebraici prætendunt inveniſſe duodecim millia Stellarum. Caballiſtici vero 29000. Miriades: non videtur hoc veroſimile El: *Schickardo*, licet una ſe conjungeret cum alia, & una occuparet tertiam partem minuti, concludit, quod in tota ſuperficie Cœli non poſſint numerari, niſi 26712. Miriades. *Antonius Maria de Reita*, in ſuo

Radio Sidereomiſtico affirmat ſe obſervaſſe in Orione quaſi duo millia Stellarum. *Ricciolus* in ſuo libro calculum facit, Orionem occupare in Cęlo 500. gradus, & intra ſpatium quadratum, numerantur ad minus 500. Stellæ. Ad mentem Galilæi 62500. Stellæ in Orione numerantur. Videatur *Coronellus l.c.*

§.4. *De primo inventore Geographiæ.*

Taletes, unus ex ſeptem Sapientibus, qui vixit 550. annis ante adventum Redemptoris, primus invenit globum, ut refert *Plinius*; & primus docuit Geographiam, ut refert *Strabo*. Videatur *Coronellus* in Atlan. Venet. p. 18.

§.5. *De magnitudine, ſeu extenſione Orbis terræ.*

Strabo lib. 2. extendit latitudinem terræ habitatæ ad 30000. ſtadia, facientia milliaria 3750. longitudinem autem conſtituit 70000. videlicet 8750. cui

opi-

opinioni tamen contradicunt nonnulli, qui videri poteruut in veteri Planispherio *Patris Coronelli*.

§. 6. *De Diviſione moderna Geographica Europæ*.

Inter modernos Geographos *Girava* diſtinxit Europam in 34. Regna; *Maginus* in 22. *Langius* in 21. *Brietius* in 12. Inter quæ ab aliquibus incluſa fuerunt, Inſulæ Balearides, Sicilia, & Ruſſia. Sed melius cum *Coronello* dividitur in 11. partes, videlicet in Angliam, Franciam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Italiam, Germaniam, Daniam, Sveciam, Ruſsiam, Poloniam, Turciam; quæ ſubdividuntur in alias 9. partes inferiores; videlicet in Flandriam, Lotharingiam, Comitatum Burgundiæ, Sabaudiam, Hungariam, Tranſylvaniam, Valacchiam, Moldaviam, & minorem Tartariam. Alii dividunt Europam in Occidentalem, Borealem, & Meridionalem: Occidentalis ſubdividitur in Brittanniam majorem,

ſeu Angliam, Hiſpaniam, Franciam, & Flandriam. Borealis ſubdividitur in Germaniam, Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Ruſſiæ, & minorem Tartariam; Meridionalis in Regnum Hungariæ, Grȩciam, & Italiam ſubdividitur. V. *Coronellus tit. de Europa*.

§. 7. *De Europa conficiente animas* 10000000.

Ad mentem *Riccioli* in ſua Geographia numerantur in Europa nonagintanovem milliones animarum; & ſecundum alios centum milliones; & numerabuntur in Italia, & Inſulis adjacentibus, Sicilia, Corſica, & Sardinia, undecim: decem, in Hiſpania; novendecim, vel viginti in Francia: In Anglia, Scotia, & Hybernia quatuor; in Flandria, & Germania inferiore, cum Hollandia, & Zelandia quatuor; in Germania ſuperiore viginti milliones; in Illyrico, Dalmatia, & Græcia, cum Inſulis adjacentibus decem milliones; in Macedonia, Thra-

cia,

cia, & Myſſia ſex; in Polonia, Pomerania, Lituania, Pruſſia, & Livonia, & aliis partibus Septentrionalibus, octo milliones. Videatur *Coronellus* in Atl. Venet. tit. de Europa pag. 38.

§. 8. *De Inſulis Europæ, & Promontoriis.*

Brittannicæ Inſulæ ſunt majores aliis; poſtmodum ſunt Sardinia, Corſice, Sicilia, Melita, Creta. V. *Coronellus* in Atlante Venet. tit. de Europa pag. 39. Promontoria noſtri continentis celebriora ſunt, Caput S. Vincentii, & Caput Finis terræ in Hiſpania; Thelandend in Anglia; Caput Nortkim in Nortwegia; Caput Scagen in Dania; Caput Conqueſte in Francia; Caput Spartivento in Italia; Caput Matapan in Morea; Caput Spada in Cretenſi Inſula. *Coronellus* l. c.

§. 9. *De Montibus Europæ.*

Inter Montes celebriores ſunt Alpes, ſe extendentes per ſpatium ducentarum horarum, dividunt Italiam à Francia, & Hiſpania; Apennini in Italia; Pirrhenæi in Navarra; Hircini in Bohemia; Grampius in Scotia; Carpatus in Hungaria, & Polonia; Argenterus in Macedonia; S. Gottardi in Helvetia; alii Montes famoſi ſunt, vel ob flammas, quas evomunt, ut Hecla in Islandia; Æthna in Sicilia; Veſuvius, in Regno Neapolitano; vel alii Montes nominati ob fodinas, aut venas, ut Inglanus in Bohemia; Fribergius, in Miſnia; Collerfeld in Lunnenburgenſibus partibus; vel alii Montes nominati ob generoſitatem vinorum, uti Mons Caetanus in terra laboris, celebratus ab *Horatio* ſub nomine Cæcebi. V. *Coronell.* l.c.

§. 10. *De Univerſitatibus Europæ.*

In Europa numerantur Univerſitates

tes Studiorum centum, & quinque; ex quibus 18. ſunt in Italia, 28. in Francia, 20. in Hiſpania, 27. in Germania, 4. in Svecia, 2. in Helvetia, 2. in Anglia, 1. in Hybernia, Dania, Tranſylvania, & Bohemia. *Coronell.*

§. 11. *Aſia populata, & 735050. Iraëlitis, quos conduxit Moyſes in Aſiam.*

Aſia populatiſſima eſt; & *Moyſes*, prout colligitur ex Num. 1. conduxit ex Ægypto in Aſiam filios Iſrael, ad arma gerenda aptos, numero 635050., non comprehendendo adoleſcentes minores 20. annis, nec fæminas, nec levitas admittendo, prout colligitur 1. Reg. cap. 15.

§. 12. *Quod in Regno Sinarum numerentur familiæ* 10128789.

Pater *Martinus de Martinis* ſcribit aſcendere familias in Regno Sinarum ad decem milliones, centum viginti octo millia, ſeptingenta, & octuaginta novem; per-

perſonarum autem numerus major eſt. V. *Coronellus*.

§. 13. *De Perſonis 58916789. reperibilibus in Regno Sinarum*.

Idem Pater *Martinus de Martinis* refert perſonarum in Regno Sinarum reperiri quinquaginta octo milliones, nongenta, & ſexdecim millia, & ſeptuaginta, octuaginta novem. *Coronellus*.

§. 14. *De quingentis millionibus animarum reperibilibus in Regno Sinarum*.

Secundum Computum *Riccioli* in Aſia continentur quingenti milliones animarum; ita ut quatuor vicibus plures ſint animæ in Aſia, quam in Europa. V. *Coronellus* in Atlante Veneto tit. de Aſia f. 43.

§. 15. *De magnitudine Africæ*.

Maginus computum facit, Africam longè majorem eſſe Europâ, quia occupat

cupat in latitudine gradus 70. Cum Europa tantùm habeat 35. *Janſonius* in to.3. Atl.& *Cluverius* lib.6.c.2. ajunt Africam habere in longitudine, à Promontorio Gibilterra, uſque Caput bonæ ſpei 1200. milliaria Germanica, quæ faciunt ad minus 4800. Italica; & in latitudine ab Inſula Capitis Viridis, uſque Quardafurtum milliaria Germanica 1050. vel Italica ad minuùs 4200. Totus autem circuitus ad mentem *Mariſotti* lib.2. orbis maritimi eſt milliarium 3030. quę faciunt ad minus milliaria Italica 12120.

§.16. *De Ducentis millionibus animarum, reperibilium in duabus Americis.*

P. Ricciolius in ſua Chronologia Reformata numerat in Civitate Mexici pluſquam 300. focos, ſequendo opinionem *Antonii Hereræ*, aſſerentis habitatam eſſe 50000. Indis, & 4000. Caſtellanis, numerat in Civitate Limenſi mancipia 12000., mulieres hiſpanas 24000.,

in Cuſco habitantes 50000. & in ejus territorio 200000. Et quia partes internæ Americæ Meridionalis ſunt quaſi incognitæ, & de terra Auſtrali quaſi nihil appareat, conjecturaliter attribui poſſunt utrique Americæ 200. milliones habitantium, & 100. milliones in terris Auſtralibus.

§. 17. *De mille millionibus Animarum reperibilibus in Europa, Aſia, Africa, utraque America, & terris Polaribus.*

Secundùm *Coronellum* in Atlante Veneto tit. de Europa fol. 68. numerantur mille milliones animarum in mundo, videlicet in Europa . . . . . . 10000000.

In Aſia	50000000.
In Africa	10000000.
In duabus Americis.	20000000.
In terris Polaribus . .	10000000.
In Summa . .	100000000.

§. 18. *De 146900. millionibus hominum natorum a creatione Adami, uſque ad annum Chriſti* 1711.

Supponit *P. Coronellus* Orbem univerſum habitatam eſſe mille millionibus perſonarum, & quod in omni loco, naſcatur omni anno quinquageſima pars habitantium, & totidem moriantur, exceptis iis, qui peſte aut bello auferuntur; prout colligitur ex ſummariis, quæ omni anno Venetiis imprimuntur à Magiſtratu Sanitatis, ubi ſpatio ſex annorum inter natos, & mortuos non invenitur differentia 500. perſonarum, quia Exempli gratia Venetiis a 1681. uſque ad annum 1687. nati fuerunt 35459. mortui autem 34977. Idem obſervatum fuit *Romæ*, & in aliis partibus; unde ſequetur, quod in recompenſationem unius loci præ alio in toto Mundo omni anno naſcantur viginti milliones perſonarum, quorum numerus in aliquibus locis major eſt maſculorum, quam fæminarum; & in aliis lo-

cis

cis major eſt numerus fæminarum, quam maſculorum. Unde iterum ſequetur, quod in uno ſæculo in toto Mundo naſcantur 2000. milliones perſonarum; unde ſequendo opinionem *Ocellæ Pitagorici*, dicentis generationem populorum in Mundo, ſemper conſervatam fuiſſe uniformiter etiam poſt diluvium, à quo uſque ad hodiernum diem receſſerunt ſæcula 57. minus annis undecim, videlicet 3978. ante Chriſtum, & 1711. ab ejus incarnatione, multiplicando 2000. milliones pro quovis ſæculo conſtituent 146700. milliones hominum. Aliàs computum fecerat *Coronellus* fol. 69. uſque ad annum Chriſti, & numerabantur anno 1690. 146480. milliones hominum, quibus per viginti, & unum annos, viginti millionibus omni anno multiplicatis conficietur numerus 146900. millionum hominum.

§. 19. *De Spitzberga & Groenlandia*.

Hollandi anno 1596. invenerunt ter-

terram in Grœnlandia, nuncupatam Spitzberg, ita nnncupatam ab altiſſimis, & inacceſſibilibus acutis altitudinibus montium; quas partes Angli nominant terram novam: vulgò Neülandt.

Clima Groenlandiæ, & Spitzbergæ frigidiſſimum eſt, nihilominus corpora non corrumpuntur ſub glacie. Hyems durat 4. menſibus, quibus nunquam ſol apparet ſupra Horizontem, videlicet duobus menſibus ante, & totidem poſt Solſtitium Cancri. Aliis quatuor menſibus ſol oritur, ſine occaſu, & tunc notatur æſtas; aliis quatuor menſibus lux adeo obſcura eſt nubibus, ut vix videatur Luna, quando eſt ſupra Horizontem.

§. 20. *De avibus variarnm ſortium Groenlandiæ, & Spitzbergæ; & diſceſſu earundem avium ad exteras regiones, uti & de animalibus quadrupedibus.*

In æſtate admirabilis quantitas avium notatur in foraminibus montium, qui ut plurimum in iiſdem nidos conſtruunt;

ſtruunt ; & nutrimentum hauriunt è cadaveribus piſcium majorum, & aliqui vivunt de piſcibus minutis : & nuncupantur *Schneevogel*, *Burgemeiſter*, *Ratſcherr*, *Struntiager*, *Kutyegehf*, *&* *Malkemucke*. V. *Coronellus* fol. 73.

Ad finem Junii, & Julii ova pariunt, & ex iiſdem generant novos pullos, & tunc ſupra rupes, tanta quantitas avium videtur, ut volando umbram faciant ſupra terram, & acſi aliqua nubes ſeſe ſoli interponeret ; ſed adveniente frigore ad alias properant regiones. V. *Coronellus* ibidem.

Reperiuntur ibi Cervi, Vulpes, Urſi albi, Canes, Equi, & Boves Marini. V. *Coronellus* l. c.

§. 21. *De Novazembla*.

Novamzemblam, quidam credunt eſſe Inſulam maris glacialis; alii credunt partem eſſe Magnæ Tartariæ verſus Orientem. Inter Europæicos, Hollandi prætendunt illam primitùs inveniſſe an-

no

no 1594. quando quærebant tranſitum in Japponiam, & ad Sinarum Regna, & poſtquam multa tentaverant, tandem intentum obtinuerunt 29. Auguſti ann. 1596.

CAPUT II.

De Hydrographia.

SAlſedo maris oritur aut ex eo; quod creator Deus hanc qualitatem mari addere voluerit; aut provenit ex mixtione ſalis, quæ reperitur in aquis, ſicuti in omnibus aliis rebus creatis, corpuſculis, & particulis. Sunt & alii, qui dicunt, Salſedinem maris provenire ab aduſtione Solis: alii à montibus ſalitis reperibilibus in mari.

Referente *P. Coronello* in Atlante Veneto fol. 77. periti Naucleri retulerunt profunditatem maris non excedere altitudinem montium, hoc eſt duorum milliarium Italicorum, cum medio; nihilominus maria Septentrionalia ſunt

profundiora, maximè prope Nortwegiã.

In ſuo medio, mare nunquam congilaciari poteſt; nihilominus ſcribit *Michael Glycas*, quod hyems anni 775. fuerit adeo aſpera in Oriente, ut mare in illis partibus congelatum fuerit per viginti quinque milliaria Germanica; glacies autem fuerit alta 30. cubitorum; coperta altitudine nivium aliorũ 20. cubitorum.

Secundum Geographos diſtinguitur mare in Oceanum, ſeu mare externum, & in Mediterranenm, ſeu mare internum. Quæ maria poſtmodum dividuntur in varias alias partes, & varia ſortiuntur nomina.

Oceanus dicit ur à velocitate, cum qua percurrit maria interna, & diſtinguitur generaliter in duas partes, videlicet in illam, quæ alluit continentem veterem; & illam, quæ alluit continentem novum; prima pars ſubdividitur in Oceanum, Septentrionalem, Orientalem, Atlanticum, & Meridionalem.

Oceanus Septentrionalis, ſe extendit ad Norwegiam, Ruſſiam, Tartariam, & No-

& Novamzemblam. Qui Oceanus iterum ſubdividitur in mare Schyticum, Glaciale, Sarmaticum, Hyperboreum, Germanicum, Balticum, Deucaledonium, & Hybernicum.

Oceanus Orientalis, ſeu ſecundùm Plinium, & Melam Eous, ſubdividitur in mare Indicum, alluens Peninſulam ex utraque parte Gangis: Subdividitur in mare Lantichidol inter novam Guineam, & novam Hollandiam: Subdividitur in mare Sinarum, excurrens illud vaſtum Imperium, & Inſulas Philippinas; Subdividitur, & in mare Japponiæ.

Oceanus Atlanticus continet mare Brittannicum, Aquitanicum, Oceanum, Cantabricum, Ibericum mare, Sinum Gaditanum; mare Capitis viridis &c.

Oceanus Meridionalis dividitur in meridionalem, & Ætiopicum, quod ultimum ſe extendit ab Æquatore ad Polum Antarticum, & ſubdiſtinguitur in mare Congo, Cafri, Zanguebar, & Arabiæ.

Oceanus alluens continentem no-

vum dividitur in tres partes, videlicet in mare Pacificum, *vel Sud*, *vel Zur*. In mare Nort, ſeu Septentrionale; in mare Magallanicum, quod iterum ſubdividitur in alias partes minores.

Mare Pacificum dicitur à ventis Orientalibus ordinariè ibi flantibus: dividitur in mare Jeſſi, Caliphorniæ, Vermei, Pacifici proprii, & Peruani. Navigantes à Nova Hiſpania ad InſulasPhilippinas, ab Occidente ad Orientem nunquam vela mutant,nec ullam timent tempeſtatem, licet ſit diſtantia Leucarum 1650. ſeu ſexaginta dierum navigationis. Unde rectè adducit *Coronellus* ſequens diſtichon fol.78.

Sum Mare Pacificum, nullis confundor ab Auſtris,
In me ſed regnat Pacis amica quies.

Mare Nort alluit partesSeptentrionales, Orientales, & Meridionales Americæ Septentrionalis, & partes Orientales, & Septentrionales Americæ Meridionalis; ſubdividitur in mare Canadæ, vel novæ Franciæ; Mare Mexici, vel no-

væ

væ Hiſpaniæ ; Mare Nort proprium , & mare Braſſiliæ .

Mare Magallanicum tranſit Inſulas Magallanicas , & vocatur Magallanicum ; & diſtinguitur in Magallanicum proprium , mare Chilium , & *de Paraguay* .

Archipelagus nihil aliud eſt, quam certus Inſuſarum , & Charybdium ſitus in mari ; tales ſunt Sancti Lazari , Moluccarum , & Maldiviarum, Mexici, novi Yorck , & Chilii .

Mare Mediterraneum incipit à Gibilterra , & deſinit in ultimis receſſibus Euxini, vel maris nigri, & ex altera parte alluit Hiſpanias, Gallias, Italiam, & alias Provincias , ultimi tandem ejus limites ſunt æſtuaria Veneta ; lambit etiam partes Macedoniæ , Thraciæ , Græciæ , & Soriæ . In latitudine mare Mediterraneum poterit habere 1000.milliaria Italica, & in longitudine 3300. *V.Coronell.* fol.81. Dividitur Mediterraneum in Europæum , Aſiaticum, & Africanum; quæ poſt modum iterum dividuntur in varia

alia maria cum diſtinctis nominibus acceptis ab illis Provinciis, quas alluit.

Nicolaus Cauſinus ait fluxum, & refluxum maris Sepulchrum eſſe curioſitatis humanæ. Nihilominus *P. Antonius Meira de Reita* in ſuo Radio Sydereomyſtico. lib.4. cap.3. memb.4. Lunæ attribuit cauſam fluxus, & refluxus maris.

Inter freta notabiliora numerantur Candinæ fauces in Regno Neapolitano. Boſphorus Cimerius. Boſphorus Thracicus. Fretum Gaditanum. Boſphorus Helleſpontius. Euripus Chalcidius. Fretum Meſſanæ.

Inter Sinus principaliores ſunt Adriaticus: Præſtanus in Regno Neapolitano: Illlicitanus vulgò *Golfo d'Alicante* &c.

Inter Flumina numerantur, Aa, Galliæ Belgicæ; Acius, Siciliæ; Aceſinus, Perſiæ; Achelous, Græciæ; Acincus, Bohæmiæ; Abdua, Lombardiæ; Arnus, Hetruriæ. *V. meæ Geographiæ Territorialis libri IV. & V.*

LI-

LIBER II.

De Chronologia Purpurata, ſeu Catalogo omnium Summorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium.

CAPUT I.

De Summis Pontificibus.

SAnctus Petrus Galilæus, à Chriſti in Cęlum aſcenſu, ejuſdem in terris Vicarius 36.anno Antiochiæ Sedem locat, 43. Romæ, cumque eam ibi annos 24 menſes 5. dies 12.tenuiſſet, è cruce avolavit ad ſuperos 29. Junii 67. Ejus Succeſſores uſque ad annum 1712. fuere 246. quorum hic ſeriem ſubtexo, deſignando annum, quo ad Pontificatum evecti fuere.

S. Linus	67	S. Felix	270
S. Cletus	78	S. Eutychianus	275
S. Clemens	91	S. Cajus	283
S. Anacletus	101	S. Marcellinus	296
S. Evariſtus	110	S. Marcellus	304
S. Alexander	119	S. Euſebius	309
S. Sixtus	130	S. Melchiades	311
S. Teleſphorus	140	S. Sylveſter	314
S. Hyginus	152	S. Marcus	336
S. Pius	156	S. Julius	337
S. Anicetus	165	S. Liberius	352
S. Soter	173	S. Felix II.	355
S. Eleutherius	177	S. Damaſus	367
S. Victor	192	S. Siricius	385
S. Zephyrinus	201	S. Anaſtaſius	398
S. Calliſtus	219	S. Innocentius	402
S. Urbanus	224	S. Zoſimus	417
S. Pontianus	231	S. Bonifacius	418
S. Anterus	235	S. Cęleſtinus	425
S. Fabianus	236	S. Sixtus III.	432
S. Cornelius	251	S. Leo Magnus	440
S. Lucius	253	S. Hilarius	461
S. Stephanus	255	S. Simplicius	467
S. Sixtus II.	257	S. Felix III.	483
S. Dionyſius	258	S. Gelaſius	492

S. Anaſtaſius II. 496
S. Symachus 498
S. Hormiſdas 514
S. Joannes I. 523
S. Felix IV. 526
Bonifacius II. 529
S. Joannes II. 532
S. Agapetus 535
S. Sylverius 536
Vigilius 537
Pelagius 555
Joannes III. 561
Benedictus 575
Pelagius II. 579
S. Gregor. III. 590
Sabinianus 604
Bonifac. III. 607
S. Bonifac. IV. 608
S. Deusdedit 616
Bonifac. V. 620
Honorius I. 626
Severinus 640
Joannes IV. 640
Theodorus I. 649
S. Martinus 649
S. Eugenius 654
S. Vitalianus 657
Adeodatus 672
Donus 677
S. Agatho 679
S. Leo II. 682
S. Benedictus II. 685
Joannes V. 686
Conon 687
S. Sergius 688
Joannes VI. 702
Joannes VII. 705
Siſinius 707
Conſtãtinus 708
S. Gregorius II. 715
S. Gregor. III. 731.
S. *Zacharias* 741
Stephanus II. 752
Stephanus III. 752
S. Paulus 757
Stephanus IV. 768
Hadrianus 772
Leo III. 795
Stephanus V. 816
S. Paſchalis 817

Euge-

Eugenius II. 824
Valentinus 827
Gregorius IV. 828
Sergius II. 844
S. Leo IV. 847
Benedictus III. 855
S. Nicolaus 858
Hadrianus II. 867
Joannes VIII. 872
Marinus 882
Hadrianus IV. 884
Stephanus VI. 885
Formoſus 891
Bonifacius VI. 896
Stephanus VII. 896
Romanus 897
Theodorus II. 898
Joannes IX. 898
Benedictus IV. 900
Leo V. 904
Chriſtophorus 904
Sergius III. 905
Anaſtaſius III. 912
Lando 914
Joannes X. 915

Leo VI. 928
Stephan. VIII. 929
Joannes XI. 931
Leo VII. 936
Stephanus IX. 939
Marinus II. 943
Agapetus II. 846
Joannes XII. 956
Leo VIII. 963
Benedictus V. 964
Joannes XIII. 965
Benedictus VI. 972
Donus II. 974
Benedictus VII. 975
Joannes XIV. 984
Bonifacius VII. 985
Joannes XV. 986
Gregorius V. 997
Sylveſter II. 999
Joannes XVI. dictus XVIII. 1003
Joannes XVIII. dict. XIX. 1004
Sergius IV. 1009
Benedict. VIII. 1012

Joa-n

Joannes XX.	1024	Urbanus III.	1185
Benedict. IX.	1033	Gregor. VIII.	1187
Gregor. VI.	1045	Clemens III.	1187
Clemens II.	1046	Cęleſtinus III.	1191
Damaſus II.	1048	Innocẽtius III.	1198
S. Leo IX.	1049	Honorius III.	1216
Victor II.	1055	Gregorius IX.	1227
Stephanus X.	1057	Cęleſtinus IV.	1241
Nicolaus II.	1059	Innocẽtius IV.	1243
Alexander II.	1061	Alexãder IV.	1254
S. Greg. VII.	1073	Urbanus IV.	1261.
Victor III.	1087	Clemens IV.	1265
Urbanus II.	1088	B. Gregor. X.	1271
Paſchalis II.	1099	Innocẽtius V.	1276
Gelaſius II.	1118	Hadrianus V.	1276
Calliſtus II.	1123	Joannes XXI.	1276
Honorius II.	1129	Nicolaus III.	1277
Innocẽtius II.	1130	Martinus II. d. IV.	
Cæleſtinus II.	1143	1281.	
Lucius II.	1144	Honorius IV.	1285
Eugenius III.	1145	Nicolaus IV.	1288
Anaſtaſius IV.	1153	S. Cęleſtin. V.	1294
Adrianus IV.	1154	Bonifac. VIII.	1294
Alexander III.	1159	Benedictus X. d. XI.	
Lucius III.	1181	1303.	

Cle-

Clemens V. 1305
JoannesXXII.1316
Benedictus XI. dict.
XII. 1334
Clemens VI. 1342
Innocent. VI. 1352
Urbanus V. 1362
Gregorius XI.1370
Urbanus VI. 1378
BonifaciusIX.1389
Innocent.VII.1404
Gregor. XII. 1406
Alexander V. 1409
Joãnes XXIII.1410
Martinus V. 1417
Eugenius IV. 1431
Nicolaus V. 1447
Calliſtus III. 1455
Pius II. 1458
Paulus II. 1464
Sixtus IV. 1471
Innocen.VIII.1484
AlexanderVI.1492
Pius III. 1505
Julius III. 1505

Leo X. 1513
HadrianusVI 1522
Clemens VII. 1523
Paulus III. 1534
Julius III. 1550
Marcellus II. 1555
Paulus IV. 1555
Pius IV. 1560
S. Pius V. 1560
Gregor. XIII. 1572
Sixtus V. 1585
Urbanus VII. 1590
Gregor. XIV.1590
Innocent. IX. 1591
ClemensVIII.1591
Leo XI. 1605
Paulus V. 1605
Gregor. XV. 1621
UrbanusVIII.1623
Innocent.X. 1644
Alexãder VII.1655
Clemens IX. 1667
Clemens X. 1669
Innocentius XI.
1676.

Ale-

Alexander VIII. 1689.	Romani 102
Innocent.XII.1691	Germani 7.
Clemens XI. 1700	Galli 14.
Ex quibus Palęſtini fuere 2.	Anglus 1.
Græci 11.	Hiſpani 3.
	Africani 2.
	Reliqui fuere Itali.

CAPUT II.

De Pontificibus, & S.R.E.Cardinalibus, qui ex Ordinibus Regularium aſſumpti fuerunt.

§. 1. *De Cardinalibus ex Ordine S. Antonii.*

DUo fuerunt *ex Ordine S. Antonii Vienneſis Cardinales*. Antonius Trivultius, Franciſcus Turnonus.

§.2.*De Card.ex Ord.Eremit.S.Auguſtini.*

Octo ſunt *ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Cardinales*. Ægidius Co-
lumna

lumna . Ægidius Viterbienſis . Alexander Oliva . Ancherus Panthaleo . Bonaventura Baduarius. Gregorius Petrochinus . Henricus Noris . Hieronymus Seripandus .

§. 3. *De Cardinalibus ex Ordine S. Baſilii.*

Duo ſunt *ex Ordine S. Baſilii Cardinales* . Beſſarion Trapezuntius . Iſidorus Theſſalonicenſis .

§. 4. *De Pontificibus ex Ordine S. Benedicti, & Cardinalibus.*

Numerantur 27. *ex Ordine S. Benedicti Pontifices*. Adeodatus I. Agatho I. Bonifacius IV. Calliſtus II. Clemens VI. Gelaſius II. Gregorius I. Gregorius II. Gregorius IV. Gregorius VII. Gregorius VIII. Innocentius IV. Joannes IX. Joannes XIX. Leo V. Leo VI. Leo VII. Leo IX. Marcellinus I. Paſchalis I. Paſchalis II. Sergius IV. Sylveſter II. Stephanus IV. Stephanus X. dictus XI. Victor III. Zacharias . No-

Notantur 127. *ex Ordine S. Benedicti Cardinales*. Adam d'Eſton. Adinulphus. Ægidius Rigaudus. Albericus, ſeu Odericus. Aldemarius Capuanus. Amalarius Fortunatus. Amicus. Amicus. Anaſtaſius Bibliothecarius. Andreas d'Eſpinay. Anna d'Eſcars. Anſelmus. Antonius Bohierius. Arator. Benedictus Sala. Bernardus. Bernardus Aiglerius. Bernardus Gallus. Bernardus Maſſilienſis. Boſo. Cæleſtinus Sfondratus. Coſmas de Melioratis Urſinus. Dauferius. Drago. Elias de Sancto Heredio. Franciſcus Gallus, Gandulphus. Gebizo. Gerardus. Gerebertus. Gregorius. Gregorius. Gregorius. Gregorius. Gregorius, Corteſius. Guilielmus de Aura. Guilielmus de Chanaco. Guilielmus de Taliante. Guitmundus. Hadamarus. Hadrianus. Henricus Siculus. Hiltprandus. Humbertus. Hugo Guilielmus de Stanno. Hugo Rogerius. Joannes. Joannes. Joannes. Joannes. Joannes. Joannes. Joannes Balve. Joannes de Cajeta. Joannes de Caſtrocæli. Joannes Campanus.

nus . Joannes de Grangia . Joannes de la Grolaye . Joannes Siculus . Joſeph Saenz de Aghirre . Leo Marſicanus . Leo Marſicanus . Leonas . Manfredus . Maynardus . Megiſtus . Nicolaus . Nicolaus. Nicolaus Beckpear . Nicolaus de Tudisko . Oderiſius ex Comitibus Marſorum. Oderiſius ex Comitibus Marſorum. Oderiſius de Sangro. Otho de Caſtilione. Ordeonius . Pandulphus . Pelagius Calvanus . Petrus . Petrus . Petrus , Petrus. Petrus Æmilii. Petrus Alberinus. Petrus Aquilanus . Petrus Arnoldi . Petrus de Banhiato. Petrus Capuanus. Petrus Comes . Petrus de Croſſo. Petrus Damiani. Petrus Duacenſis . Petrus de la Foreſt . Petrus Judicis. Petrus Papienſis . Petrus Rogerii . Petrus de Stanno . Petrus de Tartaris. Philipp us de la Chambre. Rainaldus Calamentanus . Raymundus de Musfojolis . Raynerius . Richardus . Richardus de Annibalis. Richardus Gallus. Rofredus de Inſula. Rogerius. Rolandus. Roſcemannus . Simon Borellus . Simon de Langhan . Sinibaldus Fliſcus . Ste-

pha-

phanus, Stephanus. Sylveſter. Theobaldus. Theodevinus. Theodinus. Theodinus Sanſevinus. Thomas de Clausle. Valentinus, ſeu Vincentius Rivus. Vitellius. Wurnher. Ymarus Gallus. Yvo.

§. 5. *De Cardinalibus ex Ordine Camaldulenſi.*

Habentur 5. *Ex Ordine Camaldulenſi Cardinales*. Angelus de Anna. Ardicinus de la Porta. Joannes. Maphæus, ſeu Mathæus Gerardus. Petrus Quirinus.

§. 6. *De Pontificibus ex Ord. Carmelitar.*

Duo fuerunt *ex Ordine Carmelitarum Pontifices*. Dionyſius Primus. Teleſphorus Primus.

§. 7. *Pontificibus Canon. Reg. S. Georgii, & Cardinalibus.*

Ex Ordine Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga Pontifices duo nume-

 ran-

rantur Eugenius IV. Gregorius XII.

Cardinales ejuſdem Ordinis duo leguntur. Antonius Corarius. Gabriel Condulmerius, qui tamen Ordo extinctus fuit à Clemente Nono.

§. 8. *De Pontificibus, ex Ordine Cruciferorum.*

Ex Ordine Cruciferorum Pontifex. Cletus Primus numeratur, ſed ſunt differentes ab hodiernis Cruciferis.

§. 9. *De Pontificibus Canonicorum Regul. S. Auguſtini, & Cardinalibus.*

Ex Ordine Canonicorum Regularium, Pontifices quinquaginta numerantur. Alexander Primus. Alexander Secund. Alexander Tertius. Anacletus Primus. Anaſtaſius Quartus. Antherus Primus. Benedictus Secund. Benedictus Tertius. Benedictus Quartus. Clemens Primus. Cletus Prim. Cornelius Prim. Eleutherius Prim. Evariſtus Prim. Eugenius

nius Secund. Fabianus Prim. Felix Prim. Formoſus I. Gelaſius Prim. Hadrianus Quart. Honorius Prim. Honorius Secund. Higinus Prim. Innocent. Secund. Julius Prim. Landus Prim. Leo Prim. Leo Secund. Leo Tert. Leo Quart. Linus Prim. Lucius Secund. Marcus Prim. Melchiades Prim. Paſchalis Secund. Pius Prim. Sergius Primus Sergius Secundus. Sixtus Prim. Sixtus Secund. Stephanus Prim. Stephanus Tert. Stephanus Quart. Stephanus Nonus. Sylveſter Prim. Victor Prim. Urbanus Prim. Urbanus Secund. Urbanus Tert. Zacharias.

Ex eodem Ordine Cardinales numerantur 42. videlicet:

Albinus. Angelicus Grimaldi. Anſelmus. Arduinus. Arnaldus. Bernardus. Bernardus. Berthrandus de Chanaco. Cencius Sabellius. Chonradus de Suburra. Cuno. Formoſus. Fridericus. Gerardus Caccianemicus. Gregorius de Creſcentio. Gregorius de Papa. Guarinus. Haymericus. Hieronymus. Hildebrandus Craſſus. Hubaldus Caccianemicus.

micus. Hugo de Folieto. Hugo de Sancto Victore. Jacobus Gualla. Jacobus de Vitriaco. Joannes. Joannes Martinus. Joannes Pizzutus. Lambertus de Fagnano. Leo Brancaleo. Ludovicus Alemandus. Mathæus. Nicolaus de Cuſa. Petrus. Philippus Repintonus. Raymundus de Chanilac. Raynerius. Raynerius. Rolandus Bandinellus. Sergius. Thomas Mediolanenſis. Yvo Sanctvictorianus.

§. 10. *De Cardinalibus ex Ordine Carthuſianorum.*

Ex Ordine Carthuſianorum Cardinales hucuſque numerati fuernnt tres; vid. Alphonſus Ludovicus de Richelieu. Dominicus de Bonaſpe. Nicolaus Albergatus.

§. 11. *De Pontificibus, & Cardinalibus Ordinis Cæleſtinorum.*

Ex Ordine Cæleſtinorum Pontifice unus fuit Cæleſtinus V., & unus Cardinalis, Thomas de Ocra. *Pon-*

§.12. *Pontificibus, & Cardinalibus Ciſtercienſis Ordinis.*

Ex Ordine Ciſtercienſi Pontifices 7. numerantur, videlicet: Benedictus Nonus dictus Duodecimus. Calliſtus Secund. Cæleſtinus Quartus. Eugenius Tertius. Gregorius Octavus. Hadrianus Quartns. Nicolaus Tertius.

Ejuſdem Ordinis Cardinales 39. & ſunt Albertus de Mora. Albus. Arnaldus Novelli. Balduinus. Bernardus Rechedonenſis. Chryſogonus. Conradus de Urach. Franciſcus Carbonus. Gaufridus Caſtilionæus. Georgius Coſta. Gerardus. Gerardus Seſſius. Guido. Guido de Pore. Guilielmus Curti. Henricus Gallus. Henricus Moricottus. Henricus de Suly. Hieronymus Sochenus. Hugo. Jacobus Fornerius. Jacobus Herebertus. Jacobus de Peloraria. Joannes Martinius. Joannes de Toleto. Jordanus de Ceccano. Lucas Gallus. Maynardus. Otho de Caſtro Rodulphi. Petrus de

Barro. Raynerius Capoccius. Renatus de Priè. Robertus. Simon de Belloloco. Stephanus de Ceccano. Stephanus de Cialon. Theobaldus. Theobaldus de Ceccano. Theodaldus de Lucemburgo.

§.13. *De Cardinalibus Monachorum Reformatorum S. Bernardi.*

Ex Ordine Monachorum Reformatorum S. Bernardi Cardinales 2. ſunt Joannes Bona. Joannes Maria Gabriellius, primus à Clemente Nono, alter ab Innocentio Duodecimo creat.

§.13. *De Pontificibus, & Cardinalibus Ordinis Cluniacenſis.*

Ex Ordine Cluniacenſi Pontifices 4. habentur: Gregorius Septim. Paſchalis Secund. Urbanus Secund. Urban. Quint.

Ejuſdem Ordinis Cardinales 23. Ægidius. Albericus. Androinus. Conradus. Gerardus. Gerardus de Podio. Guilielmus de Agrifolio. Guilielmus de Eſtou-

Eſtouteville. Guilielmus Marengus. Hiltprandus. Jacobus Herebertus. Joannes Goffredus. Joannes Halgrin. Joannes de Turre. Matthæus Gallus. Naſtro. Odo. Odo de Caſtilione. Pontius. Raynerius. Simon. Stephanus. Theobaldus.

§. 15. *De Pontificibus, & Cardinalibus Ordinis S. Dominici.*

Innocentius V. B. Benedictus X., dictus XI. S. Pius V. Canonizatus 22. Maji 1712. B. Joannes de Vercellis, Magiſter Ordinis VI. à Cardinalibus abſens Papa renuntiatur a. 1281. antequam eidem præſentaretur electio obiit apud Montem Peſſulanum.

Cardinales autem fuerunt 67. vid. Alphonſus de S. Cypriano, Archangelus de Blanchis. Auguſtinus Calaminus. Corradinus de Brixia. Deſiderius Scaglia. Dominicus Pimentellus. Garcias de Loayſa. Gerardus à S. Odomaro. Gualterus de Winterburn. Guilielmus Petri. Guilielmus Sudre. Hannibaldus

Hannibaldenſis de Molaria. Hieronymus Bernerius. Hieronymus Xaverius. Hugo de Biliomo. Hugo Carenſis. Hugo de Sanguin. Joannes Alvarez de Toleto. Joannes Caſanova. Joannes Dominici. Joannes Effordia. Joannes Molandinus. Joannes de Novo Caſtro. Joannes de Raguſio. Joannes Stoicus. Joannes de Turrecremata. Joannes de Villa vitioſa. Latinus Frangipanis. Leonardus Datus. Matthæus Urſinus. Michael Bonellus. Michael Gislerius. Michael Mazarinus. Nicolaus de Albertis. Nicolaus Bocaſinus. Nicolaus Caracciolus. Nicolaus Cuſius. Nicolaus Farinuſa, Nicolaus de Francavilla. Nicolaus Marlesfeldius. Nicolaus Pratenſis. Nicolaus Terviſinus. Nicolaus Roſelli. Nicolaus de S. Saturnino. Nicolaus à Schomburg. Odericus de Monaldis. Petrus Montanus. Petrus Tarantaſienſis. Philippus Gezza. Philippus Thomas Huvard de Norfolcia. Philippus de Rufinis. D. Raymundus Capuanus. Raymundus Capiſucchus. Roberrus Kalwarbius. Thomas Anglus.

Tho-

Thomas Badia. Thomas de Clauſa. Thomas Lombardus. Thomas Joyce. Thomas Maria Ferrarius. Thomas de Vio Cajetauus. Udo Vindonienſis. Vincentius Juſtinianus. Vincentius Maculanus. Vincentius Maria Urſinus. Yvo Rumen.

§. 16. *De Pontificibus, & Cardinalibus, ex Ordine S. Franciſci, compræhenſis etiam Conventualibus, Capuccinis, & aliis Obſervantibus, & Recollectis.*

Ex Ordine S. Franciſci Pontifices quatuor numerantur: Alexander V. Nicolaus IV. Sixtus IV. Sixtus V.

Ejuſdem Ordinis Curdinales 43. Andreas ex Comitibus Signiæ. Anſelmus Marzatus. Antonius Barberinus ſenior. Bartholomæus de Cucurno. Bartholomæus de Ulyariis. Bentiv enga de Bentivenghis. Bertardus Langerii. Bertrandus de Monte Faventio. Bertrandus de Turre. S. Bonaventura. Chriſtophorus Numalius. Clemens Dolera. Conſtan-

ſtantinus Buccafocus. Elias de Bordeilles. Elias de Nabunal. Felix Centinus. Felix Perettus. Fortanerius Vaſellus. Franciſcus Maria Caſinus. Franciſcus Guignoes. Franciſcus de Ruvere. Franciſcus Ximenius. Gabriel Rangonus. Gabriel Treſſius. Gaſpar Borgia. Gentilis de Monteflore. Guilielmus Farinerius. Guilielmus Peytous. Hieronymus de Aſculo. Jacobus Thomaſius. Joannes Minius. Joannes Baptiſta Brancatius, aliàs Laurentius de Laurea. Leonardus de Chiffonio. Leonardus Patraſtus. Ludovicus de Alibretto. Ludovicus Donatus. Marcus Vigerius. Marcus Viterbienſis. Matthæus de Aquaſparta. Odo, ſeu Reginaldus Rigauld. Thomas, ſeu Thomaſinus de Firignano. Vicedominus de Vicedominis. Vitalis à Furno.

§. 17. *De Cardinalibus Ord. Humiliator.*

Ex Ordine Humiliatorum Cardinalis, Lucas Manzolius eſt, fuit extinctus Ordo.

§.18. *De Cardinalibus ex Ordine S. Mariæ de Mercede.*

Ex Ordine S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Cardinales 12. ſunt: Claudius de Portacœli. Dominicus à Sancto Petro. Dominicus Serranus. Joannes Laſſus. Joannes Virinus. Petrus de Barelis. Petrus Rodriguez de Torres. Petrus Salazar. Raymundus Gottolanus. Raymundus Nonnatus. Raymundus deToloſa. Severinus Gallus.

§.19. *De Cardinalibus ex Ord. Servor.*

Ex Ordine Servorum B. Mariæ Cardinales 5. Androinus de Rocha. Dionyſius Laurerius. Joannes Balve. Stephanus Bonuccius. Stephanus à Burgo S. Sepulchri.

§.21. *De Card. Cleric. Regul. Somaſchor.*

Ex Ordine Clericorum Regularium Somaſchorum 2. Alex. Creſcentius. Petrus Pazman.

De

§.22. *De Pontificibus, & Cardinalibus Cleric. Regul. Theatin.*

Ex Ordine Theatinorum Pontifex. Paulus Quartus fuit.

Cardinales 5. Franciſcus Pignatellus. Joannes Bernardinus Scotus. Joſeph Maria Thomaſius. Joannes Petrus Carafa. Paulus Aretinus.

§. 23. *De Cardinalibus ex Ordine Trinitariorum.*

Ex Ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum 2. *Cardinales*. Antonius Cerdanus. Petrus Salazar.

§.24. *Cardinalibus Societatis Jeſu.*

Cardinales numerantur octo *è Societate Jeſu*. Franciſcus Toletus. Joannes Caſimirus, Regis Poloniæ filius. Joannes Baptiſta Ptolomęus. Joannes Everardus Nitardus. Joannes de Lugo. Pe-

trus

trus de Pazman. Robertus Bellarminus. Sfortia Pallavicinus.

§. 25. *De Cardiualibus ex Ordine Vallis Umbroſæ.*

Ex Ordine Vallis Umbroſæ 4. fuerunt Cardinales. Bernardus. Lucius Boethius. Petrus Igneus. Theſaurus Beccaria.

§. 26. *De Cardinalibus ex Ordine Equitum Theutonicorum.*

Ex Ordine Equitum B. Virginis Theuthonicorum Cardinalis eſt: Chriſtianus Auguſtus, è Ducibus Saxoniæ.

§. 27. *De Cardinalibus Equitum Hieroſolymitanorum.*

Ex Ordine Equitum Hieroſolymitanorum. 28. Achilles d'Eſtampes de Valenzai. Aloyſius Cornelius. Antonius Barberinus. Antonius Sanſeverinus.

Aſca-

Aſcanius Columna. Benedictus Pamphilius. Bernardus Salviatus. Carolus Barberinus. Carolus Caraffa. Federicus Cornelius. Federicus Landgravius Haſſiæ. Flavius Chiſius. Franciſcus Maria Medices. Franciſcus Corneus. Georgius Cornelius. Hugo Verdali. Jo. Vincentius Gonzaga. Joſeph Renatus Imperialis. Julius Medices. Laurentius Altieri. Ludovicus Borgia. Michael Bonellus. Petrus d'Aubuſſon. Petrus Bembus. Petrus Othobonus. Rainutius Farneſius. Sigiſmundus Chiſius. Sixtus Gara de Ruvere. Virginius Urſinus.

CAPUT III.

De Cardinalibus, qui ex Univerſis Orbis nationibus aſſumpti ſunt; Cum nominibus Summorum Pontificum, qui eos creaverunt, & annis, in quibus creati fuerunt.

Angli.

